

P. VERGILI MARONIS

tende; doli circum haec demum frangentur inanes.  
ipsa ego te, medios cum sol accenderit aestus,  
cum sitiunt herbae et pecori iam gratior umbra est,  
in secreta senis ducam, quo fessus ab undis  
se recipit, facile ut somno adgrediare iacentem.  
uerum ubi correptum manibus uinclisque tenebis,  
tum uarie eludent species atque ora ferarum.  
fiet enim subito sus horridus atraque tigris  
squamosusque draco et fulua cervice leaena,  
aut acrem flammae sonitum dabit atque ita uinclus  
excidet, aut in aquas tenuis dilapsus abbit.  
sed quanto ille magis formas se uertet in omnis  
tam tu, nate, magis contendere tenacia uincla,  
donec talis erit mutato corpore qualem  
uideris incepto tegeret cum lumina somno.'

Haec ait et liquidum ambrosiae defundit odorem,  
quo totum nati corpus perduxit; at illi  
dulcis compositis spirauit crinibus aura  
atque habilis membris uenit uigor. est specus ingens  
exesi latere in montis, quo plurima uento  
cogitur inque sinus scindit sese unda reductos,  
deprensis olim statio tutissima nautis;  
intus se uasti Proteus tegit obice saxi.  
his iuuenem in latebris auersum a lumine Nympha  
conlocat, ipsa procul nebulis obscura resistit.  
iam rapidus torrens sitientis Sirius Indos  
ardebat caelo et medium sol igneus orbem  
hauserat, arebant herbae et caua flumina siccis  
faucibus ad limum radii tepefacta coquebant,  
cum Proteus consueta petens e fluctibus antra